



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

Sodalibus Partheniis Antuerpiensibus S. P. Typographus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

SODALIBVS PARTHENIIS

Antuerpiensibus S. P.

Typographus.

**F**astos Marianos novissimè, Vobis SODALIBVS, presentamus. Nomen vobis quadret. Tollite: legite. Stylus optimus. Auctoris probat ingenium, uti & vestrum, si imitemini. Estote imitatores, dicit Apostolus. Tempus breve est. Ne nimis serò, ut Phryges. IESVM queritis? Cælum favet, ite stellâ duce. Non unam, sed plures reperietis. Lactea via hac est, qua tendit ad patriam, ubi Christus cùm Matre regnat. Permanentem, enim, civitatem hic non habetis. Imperium, Regnum appetitis? Qui, & quale? Imperatores, Reges docebunt. Mauultis prelia? Plura continet. Arma capessite. Legitimè certate. Hostes instant: at diversimodè hos vincere poteritis. Fuga etiam sæpè causa victoria. Palestram amatis? En premia! Sic currite, ut comprehendatis. Honores expiscamini? Superi non inuidebunt. Rei estis? Ecce, advocati. Suffragia exposcitis? Tot habetis, quot Sancti unoquoque die coluntur, quos, vobis SODALIBVS, auxiliares, & ut veros patronos apprecamur. Valete.

Ad vestrum obsequium  
HENRICVS AERTSSENS.